CLXXXIV. Excepta *salis communis* miscela; a qua melius liberatur per *Crystallisationes*:

CLXXXV. A *nitro*, per fusionem cum carbonibus, aut regulo antimonii.

CLXXXVI. Valde *causticum* fit alcali, si cum *regulo martiali*, diu cæmentetur magis, quam fundatur.

CLXXXVII. Tale quoque fit, si nitri p. æ. cum illo regulo detonentur, & massa vegeto igne diutius ita uratur, sine fusione. Facit idem & regulus *Jovialis*: Uterque manifesto, magis quam *simplex*.

CLXXXVIII. Cum *ferro* quoque simpliciter, aut *stanno*, detonans nitrum, satis *causticum* evadit alcalica sui parte; destructa acida.

CLXXXIX. Sal tale, præcipue cum regulis illis paratum, ita *causticum* redditur, ut etiam cum aqua exæstuet.

CXC. Perit ipsi hæc κάυσις, si *carbonibus* ille regulus ex ipso præcipitetur.

CXCI. *Mineralis* indolis e vegetabili, exemplar est, dextra ustio tartari: qua *sulphuris mineralis* vestigia exhibet, sine ullo accessorio.

CXCII. Alcali *per deliquium* solutum, ex *aëre* diversimode affecto, alterationes certas suscipere, ratio suadet: Ita ex odore seu fragrantia *rosarum*, solutioni tali odorem illum impressum, annotatum est.

CXCIII. Alios vero, v. g. *oleorum destillatorum* odores, plane evertit, si intimius cum ipsis coalescat.

CXCIV. Unde vel *oleum Cinamomi*, una vel altera gutta, acri tincturæ alcalicæ sociatum, saporem suum eximie mutat aut amittit.

CXCV. Eadem ratione invertit & infringit, *acidorum* corrosivos *sapores*: Æque atque acerrimos *odores*, exemplo spiritus *volatilis sulphuris*.

CXCVI. *Acetum*, si sale alcali saturetur, aquositatis bona pars potior leniter exhalare, permittatur, tandem spiritus aut oleum *vitrioli* instilletur, regeneratur *acetum*, fortificatum seu concentratum: Ex supradictis.

CXCVII. Ejusdem census est, si *tartarus crudus* cum *sale* tartari combinetur, solutio filtretur, evaporetur leniissime ad consistentiam cerevisiæ melioris: Instilletur acidum *vitrioli*: cadit *tartarus* admodum purus & candidus.

CXCVIII. Sal tartari cum *vini fæcibus*, *tartaro* ipso crudo, *aceto* crudo, *submucidis* rebus adjuvantibus: *putredini* immixtum partim *volatilitatem* subit: partim in *terram* fatiscit.

CXCIX. Imo cum ipso acido *vitrioli* unitum, talia non recusat, sub talibus adminiculis.

CC. Sicut etiam *amaris* vegetabilium, aut *mucidis* animalium partibus largius obrutum.

CCI. *Acidus* tartarus, *pinguedine* oleosa imbutus, in *alcali fixum* abiens: Disparente omni *aciditatis* vestigio: Theoriam spectat.

CCII.